



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

§. 1. Discrimen inter Forum Paenitentiae & alia Tribunalia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

§. I.

Discrimen inter Forum Pœnitentiæ & alia Tribunalia.

Distingendum est Pœnitentiæ forum ab aliis exterioris politiæ tribunalibus. Huc enim invitus reus adducitur, ut condemnetur; illuc sponte se sistit, ut liberetur: Hic ut condemnetur, criminis convinci debet; illic ut liberetur, à crimine suo conversus probari: Hic reo prodest; illic obest delicti occultatio: Hic satis est malefacti notitia quomodocumque manifestati; illic necesse est ipse peccator sui sit accusator & peccatorum proditor. Ac propterea in his externi fori tribunalibus rei pro se nulla reputatur auctoritas, nec illi crimen neganti aut aliter in sui favorem loquenti creditur, sed modo quo potest veritas inquiritur: in isto verò Pœnitentiæ foro ab ipso peccatore veritas petitur, & si aliud nihil persuadet, sincerus ac verax creditur, sive pro se sive contra se dicat.

Fit quidem subinde nonnullos hic Confessarium fallere, qui cum pudore aut aliâ non sufficienti causâ quoddam è gravioribus peccatis scienter subliceant,
aut

aut ea quæ confitentur adhuc statuunt
repetere; tamen ut absolvantur, debite
pænitere ac integre confiteri se simulant.
Propter quod hæc Confessario necessaria
cautio est, ut dum aliquod hujus se pro-
dit indicium, penitiùs pænitentis dispo-
sitionem examinet. Est tamen rariùs hîc
dolum subesse, ac pænitentes fallaciter se
tegere, sed sinceriter eos sua aperire
contingit ut in pluribus.

§. II.

*Nec omnium Pænitentium, & præcipue non in
omnibus rebus, eorum est æqualis
auctoritas.*

Verùm tametsi suspecta non sit pæ-
nitentium sinceritas, tamen ut ipsis
credatur, non omnium, nec in omnibus
æqualis est eorum auctoritas. Quædam
magis, quædam minùs cognoscere & di-
judicare sufficiunt; in nonnullis alicujus
momenti non est eorum judicium. In
his ergò quæ cognoscere, & dijudicare
sufficiunt, ut sunt multa peccata, maxi-
mè opere completa, ac variæ eorum cir-
cumstantiæ, dum eos leviter nihil osten-
dit processisse, rectè ipsis & pro se &
contra se creditur: in quibus verò minùs